Thucydidis de bello quod nunc dicimus Peloponnesiacum historiam praeclaram non uno die esse conscriptam, sed sensim ac pedetentim magno interposito temporis spatio elaboratam nemo est quin intellegat. Etenim cum esset et materia scribendi amplissima gravissimaque et sermo, quo quidem utebatur, rudis adhuc neque satis excultus, ne potuit quidem fieri, quin scriptori quamvis egregio labor evaderet difficillimus, qui multos vitae annos absumeret. Licet vero suspicari totam vitam auctori ut magnificum illud opus perficeret parum temporis suppeditasse eumque priusquam ad summam perfectionem absolutionemque perduceret praematura morte esse interceptum. Quoniam enim neque totum bellum, quod quidem a Thucydide l. V cc. 25, 26 designatur, extremo operis capite (l. VIII c. 109) absolvitur neque omnino finis quem hodie legimus is est, qui speciem conclusionis praebeat aliquo cum consilio excogitatae (praesertim cum novissimam sententiam quae extat in codicibus spuriam esse sine dubio constet) deesse perorationem operi Thucydidio cuivis rebus vel obiter inspectis appareat. Non memoriae autem sed ipsius Thucydidis culpa hoc factum esse ex eo fit veri simillimum, quod qui cognoverunt inde ab antiquis temporibus hanc belli Peloponnesiaci historiam in fine mancam fuisse testantur (v. anon. vitae c. 5). Iure igitur colligimus ipsum Thucydidem imperfectum opus reliquisse et quod illi veteres ad explicandam hanc rem iam dudum excogitaverunt multisque fictis narratiunculis amplificaverunt, auctorem subita morte abreptum esse, id nos ipso opere excusso coniectura assequimur satis probabili, ut paene pro certo sit habendum.

De hac quidem re cum iam inter omnes fere convenisset, nimirum etiam illud in quaestionem vocatum est, utrum ei libri

octo, quos habemus a Thucydide conscriptos, ad summam perfectionem sint perducti an et ipsos quin penitus elimaret et perpoliret morte sit auctor praepeditus.

Sunt autem tres potissimum rationes, quibus Thucydidem scripsisse dicamus: aut statim ex illo tempore quo quidque evenerat describebat, ut circa a. 431 inciperet non multo post a. 411 fiiniret historiam nobis asservatam, — aut post a. 404 finito demum toto bello adversaria ante instituta in eam quam nunc miramur formam redegit, — aut partem operis ante, partem post a. 404 composuit.

Primam sententiam hodie fere obsoletam auctor professus est Dionysius Halicarnassensis (p. 867), qui verbis Th. is I 1, 1, credo, nisus inde ab initio belli istos octo libros deinceps elaboratos esse putavit. Sed graves mehercle sunt causae cur nos quidem eius sententiae non astipulemur. In prioribus enim quinque libris cum sint quaedam quae finem totius belli spectent nec nisi post annum 404 scribi potuerint (in primis I 1, 2, 21. 22, II 65, 100, IV 48, 81, V 20, 25, 26), facile intellegimus non recte totos illos libros primis belli annis tribui. Deinde ut ponamus Th.em ita scriptitasse, quid obstitit, quominus totum bellum absolveret, cum anno 404 adhuc superstitem eum fuisse ex ipso opere eluceat (v. V 26)?

Itaque ad alterutram ex reliquis sententiis confugere cogimur, quarum utra sit praeferenda multo difficilius est diiudicatu. Agitur enim de eo, possintne, cum quaedam certe extremis scriptoris annis, sc. fere annis 404—396, composita esse constet, alia tamen inveniri, quae quacunque de causa idem tempus sibi usurpari vetent, ita ut priorem quandam curam prodere videantur. Atque Classenus quidem (praef. p. XXXII sqq.), Stahlius (praef. p. X sq.) alii admirati perfectionis quasi colorem toti operi inductum admodum firmam putant eius compagem neque ex temporum varietate ullas notas remansisse concedunt. Contra Ullricus (Beiträge zur Erkl. des Th.), Steupius (quaestt. Th.), Cwiklinskius (de tempore quo Th. priorem hist. suae partem composuerit) nonnulla indagasse sibi videntur, quae non nisi ante annum 404 scribi potuerint; et illa quidem iam priore tempore dolata esse contendunt, reliqua autem postea esse adgregata et neglegentius cum illis conserta, ut hodie quoque liceat commissuras animadvertere. Itaque non uno tenore statuunt universum bellum a Thucydide conscriptum, sed duas

curas fuisse tempore aliquantum inter se distantes, ita ut dimidia fere prior pars — terminum enim alii aliter ponunt — statim ex Niciae pace inde ab anno 421, altera post annum 404 composita sit.

Videamus, quibus potissimum argumentis haec sententia nitatur. Principium quidem duxit a primis universi operis verbis, quae per se spectata non parvam movere offensionem Ullricus harum quaestionum quasi auctor atque magister, recte animadvertit. Nam cum legimus „Θουκυδίδης ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων“, quod et quale sit illud bellum, plane nescimus. Ne de eius initio quidem quidquam nos edocet, ac nisi aliunde didicimus, usque ad l. II c. 2, ubi de hac re disseritur, in incerto relinquimur. De diuturnitate autem belli, de anno quo finitum sit, l. V c. 26 demum scriptor aliqua explicatione opus esse existimat. Quasi unum tantummodo fuerit bellum inter Peloponnesios et Athenienses et id unicuique satis superque notum, in decem primorum annorum narratione eius fines nusquam diserte constituit: tandem pace rursus facta postquam pars praeteriit belli non exigua accuratiorem eius profert definitionem. Atqui in hac re habuit potius Thucydides, quod nimium operae consumeret, quam quod praetermitteret quidquam ad suam sententiam planius exprimendam. Neque enim alia deerant bella superioribus temporibus inter Lacedaemonios et Athenienses gesta — immo etiam irruptiones Lacedaemoniorum in Atticam factae erant (intra annos 507—446) [cf. Ullr. p. 1—6] quae aequo iure πόλεμος τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων appellari debuerunt — nec spatium illud 27 annorum, quod Thucydides suo bello tribuit, olim ab omnibus eodem modo accipiebatur. Velut Plato (Menex. 342), Andocides (de pace 24), Aeschines (de falsa legatione 51) res annorum 431—404 non in unum contrahunt, sed duo distinguunt bella, sc. Archidamicum et Deceleicum, quae interposita dubia illa pace secernuntur. Iam vero ipsa nomina „Archidamicum“ et „Deceleicum bellum“ saepius a scriptoribus usurpata duo potissimum bella vulgo statuta esse convincunt. Sane Thucydides illis quidem vocabulis utitur nunquam, sed cum Archidamicum bellum dicat πρῶτον vel δεκαετῆ πόλεμον (V 20, 25, 26) non iniuria hanc belli partitionem fieri profitetur. Accedit, quod ne de ambitu quidem belli, quod Thucydides sibi proposuerat, omnibus veteribus cum eo convenit: nam cum Thu-

cydides, quamvis de mense non semper sibi constiterit, anno 431 bellum initum anno 404 confectum esse ponat, ut 27 in universum compleat annos oraculo illo praesagitos, alii etiam sociorum certamina adnumeranda esse rati amplius aliquanto belli spatium extenderunt. Ut Aristophanes (pax 989 sq.) initium belli non male duxit ab anno 434, quo qui postea socii Atheniensium et Lacedaemoniorum extiterunt pugna apud Sybota commissa prima inter se signa contulerint; finem vero Xenophon (Hellen. II 3, 9) non nisi aestate anni 404 exeunte, postquam ultimum se dedidit τοῦ δήμου refugium Samos insula, ponendum esse censuit.

Quibus rebus sic se habentibus Thucydides cum unum esse hoc bellum paene solus contenderet neque minus de eius finibus et diuturnitate novam atque insolitam sententiam pronuntiaret, in exordio operis eloqui debuit plane atque ornate, quaenam essent rationes, quibus ductus ab aliis rerum scriptoribus tantum recessisset. Minime eum decuit illam expositionem usque ad V librum differre, ubi dimidia paene parte historiae enarrata sane quam sero de principiis illis totius narrationis instituamur. Nam non una est sententia I, 1, 1, qua plenam belli cognitionem desideremus, sed ut omittam alia hisce verbis similia (ut I 8, 19, 21, 23, 97, 118), tribus locis finis et initium belli, tanquam unicuique nota sint, termini usurpantur, unde aliarum rerum tempora parum per se perspicua distinctius definiantur. Nempe I 13 anni praeterisse dicuntur 300 usque ad finem belli, ex quo Aminocles Corinthius Samiis naves aedificaverit, 260 autem post primam inter Corinthios et Corcyraeenses pugnam navalem, itemque I 18 Lacedaemonios usque ad idem tempus iam per 400 fere annos eisdem legibus usos esse legimus. Denique I 24 τὰ τελευταῖα πρὸ τοῦδε τοῦ πολέμου optimates Epidamno expulsi esse narrantur. Quae omnia, cum multo inferiore loco quando bellum exortum, quando finitum sit doceamur, nullum prorsus nobis afferunt indicium ad aliarum rerum tempora cognoscenda itaque gravem nobis praebent offensionem. Iure igitur Ullricus (Beiträge zur Erklärung des Thucydides p. 55): „Wenn wir in einem und demselben Schriftwerke Angaben, welche an späterer Stelle als noch nicht bekannt und als bis dahin noch nicht berührt angesehen werden, in früheren als schon genau bekannt vorausgesetzt und dazu verwendet sehen, Zeitbestimmungen aus ihnen abzuleiten, wie

eben die Angaben über Anfang, Umfang und Ende des Peloponnesischen Krieges, so muss dies als eine Verletzung der getroffenen Anordnung des Werkes ungehörig erscheinen."

Iam velim convertamus ad l. V cc. 25, 26, quae capita prooemii alterius nomine vulgo ornantur. Non immerita profecto haec est significatio: nam non modo hoc demum loco de diuturnitate et partitione totius belli instituimur ut initiis historiarum fieri solet, sed Thucydides etiam auctorem sese esse et κατὰ θέρη καὶ χειμῶνας scripsisse iterum affirmat, quamquam perlectis I 1 et II 1 cc. nemo potest amplius dubitare, quin omnia quae sequantur ab eodem homine eademque ratione composita sint. Quae quidem res ita sunt comparatae, ut iam per se ne novum opus aut certe pars operis nova hinc fere initium ceperit afferant suspicionem. Accedit etiam quod paullo priore loco, V 20, „decennale" bellum (ὁ πρῶτος πόλ.) a rebus subsequentibus primum nominatim distinguitur, cum usque ad initium huius capitis semper in uno tantum bello, sc. τῷδε τῷ πολέμῳ, scriptor affirmaverit se versari.

Itaque apparet *Thucydidem initio nihil nisi decem annorum bellum describere voluisse atque eo consilio priorem fere dimidiam partem historiae nobis servatae elaboravisse.* Neque ita multo post annum 421 hoc factum esse ex eo possumus colligere, quod tum temporis pace adhuc recenti absolutum esse bellum prudentissimus quisque opinabatur. Quare prorsus nihil habebat Thucydides, cur post pacem factam diutius scribere cunctaretur. Renovato autem bello septem vel octo annis post tandem poterat aliquis cogitationem suscipere numquam omnino inde ab anno 431 desitum esse bellari et quae duo viderentur bella unum esse accipiendum. Tum demum igitur vel aliquanto post, circa annum 404, Thucydides alteram operi suo partem adgregabat, id agens ut materiam institutam tractare pergeret. Iam vero Thucydidi cavendum erat vel maxime, ne quid esset tota historia ambigue vel contrarie scriptum. Erant nimirum in eis, quae antea composuerat, multa quae certam quandam designationem temporis continerent rerumque subsequentium inscientiam manifestarent aut omnino ita essent conscripta, ut ad bellum 27 annorum nullo modo possent referri. Talia igitur delere et lacunas commode replere scriptorem prorsus oportebat, ut etiam secunda cura unum esse et sincerum totum opus eluceret.

Quem laborem si Thucydidi contigisset ad eum quem voluit finem perducere, nulla, credo, prioris curae vestigia in eius opere hodie reperiremus; nam quamvis rudi adhuc uteretur genere dicendi, non tanta tamen erat mediocritas eius ingeni, ut non commissuras facile posset oblitterare. Quodsi, id quod supra attigimus, morte insempesta prohibitus non potuit propositum suum peragere, hodie quoque vestigia duplicis curae in prioribus libris sese nobis insinuabunt variisque temporibus singula concepta esse coarguent. Quare deinceps, si placet, omnes locos examinemus, qui huc pertinere videantur, atque quae sint tempora singulis maxime consentanea eruamus.

Prima totius operis paragrapho (I 1, 1) legimus omnes fere civitates Graecas belli Peloponnesiaci participes fuisse („τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν ξυνιστάμενον πρὸς ἑκατέρους“), ad quae verba appositum fit „τὸ μὲν εὐθύς, τὸ δὲ καὶ διανοούμενον“ i. e. alias civitates statim alias deliberantes bellum inisse. Clarum est Argivos Achaeos Italicos et Sicilienses Graecos hoc dicto designari, quae quidem gentes in Archidamico bello consilio tantum sive animo socias sese praebuerunt Atheniensibus et Lacedaemoniis, postea autem vel suas ipsorum vires atque copias eis condonabant (cf. V 57—75, VI—VII). Cwiklinskius igitur (quaestt. de tempore etc. p. 10) illud „consilio“ verbo διανοούμενον exprimi putavit nec nisi ante quam bellum redintegratum est, sc. intra annos 421—415 hanc paragraphum scribi potuisse contendit. Mihi contra vel luce clarius videtur verbum „διανοεῖσθαι“ oppositum τῷ „εὐθύς“ hoc loco vim cunctandi habere et idem fere significare quod μέλλειν. Quare Thucydidem tempora posterioris belli, inprimis res in Sicilia factas, respicere existimo, cum dicat nonnullas gentes non nisi cunctantes cum utrisque consociatas esse. Ei igitur potius aetati hunc locum tribuo, qua scriptor iam de bello 27 annorum cogitaret et ea quae antea conscripserat additamentis amplificaret.

Atque idem tempus cum Cwiklinskio in sequentis paragraphi verbis agnosco, quibus non modo Graeci sed etiam barbarae gentes totusque paene mundus bello Peloponnesiaco vel maxime afflictati esse dicuntur. Steupius quidem, quia non re vera „μεγίστη“ haec fuerit κίνησις barbaris reliquoque praeter Graecos orbi terrarum, glossema putavit verba καὶ μέρει τινὶ βαρβάρων. Mihi vero non bene videtur disputasse. Nam non plena superlativi vis ad alteram locutionem est intelligenda, sed

id tantum voluit Thucydides exprimere, etiam in alienas terras huius belli effectus permultum valuisse (cf. Classen. crit. adn. ad hunc locum). Sane scriptor minime ita loqui debuit circa annum 421: nam tum temporis perpauci adhuc barbari bello sese interposuerant, Thraces (cf. II 29 et 101), Macedones (cf. II 100), Epirotae (cf. III 94). In fine autem belli 27 annorum utrisque quam plurimos socios asciscentibus Itali Siculi Persae suas quisque partes in bello sibi sumpserunt et non raro vel summum in rebus gerendis locum habuerunt. Qua re patet haec quoque verba circa annum 404 addita esse.

Transimus ad proximum locum, qui temporis indicium viris doctis visus sit continere, I 10, 2. Quaerit Thucydides, siquando deletae futurae sint et Sparta et Athenae neque aliud nisi aedificiorum reliquiae ad cognoscendas pristinas earum opes relictae, qualem prioris amplitudinis suae speciem utraque urbs spectatori sit praebitura. Atque Athenas quidem dicit ruina facta etiam altero tanto maiores aestimatum iri, quam fuerint revera, propter splendorem et magnificentiam aedium et publicarum et privatarum; Spartam autem sepositis singulis aedificiis et eis admodum exiguis nullum omnino testimonium, quanta olim fuerit potentia sua, futuris temporibus esse redditturam, quamquam eo quidem tempore quinque Peloponnesi partium Lacedaemonii duas obtineant, totius vero multorumque praeterea sociorum habeant principatum. Quaeritur utrum incolumibus an infractis iam Athenarum opibus haec scripta esse putemus. Ullricus et Steupius quidem „inde, quod Thucydides Atheniensium id temporis condicionem prorsus non discernat ab Atheniensium apud posteros fama, incolumibus Atheniensium opibus hunc locum scriptum esse“ collegerunt. Neque illud „altero tanto (διπλάσιον)“ quidquam valere concedunt, si devictorum Atheniensium opes intellegere velis: certe enim fuisse duplicem eorum potentiam prioribus temporibus ad eam quae relicta fuerit anno 404. Equidem vero Classenum puto de hoc loco rectius disputasse, cum dicat certum quendam annum his verbis nullo modo designari, sed totam fere rerum condicionem qualis fuerit temporibus belli Peloponnesiaci esse intellegendam. Omnino enim eae opes, quibus revera utraque urbs utebatur, hoc loco cum opinione, quae futuris temporibus de eis exortura sit, comparantur. Quare nihil prorsus interest, cui potissimum tempori hunc locum tribuamus. Si

autem ex eo temporis indicium deducere volumus, quod Lacedaemonii totius Peloponnesi principatum tenere dicuntur, hoc profecto minime convenit cum rerum post Niciae pacem condicione — quo tempore Argivi Elei Mantinenses rebellare non desierunt — sed toto bello finito Peloponneso tandem pacata scriptor debuit ita loqui. Neque id aetatis ampliorem dominationem de Lacedaemoniis praedicare licebat: nam quamquam saepius προστάται πάσης τῆς Ἑλλάδος vocantur (Xen. Hell. III 1, 3; anab. VI 6, 12; VII 1, 30), revera tamen non totius Graeciae imperium habuerunt (Xen. anab. VII 1, 28; cf. Stahl praef. p. XI). Probabile igitur videtur circa annum 404 demum haec composita esse.

Sequuntur I 20, 2—3 paragraphorum verba: quae quamquam non claram et dilucidam continent temporis significationem, tamen sunt fortasse eius generis, ut lucem quandam afferant ad eam in qua versamur quaestionem. Primum quidem Herodotum hoc loco a Thucydide respici satis est verisimile. Fuerunt igitur qui conicerent non ita multo post Herodoti mortem, quae evenit circa annum 428, haec esse conscripta, praesertim cum Hellanici Atthis et ipsa ubi primum edita est a Thucydide commemoretur (I 97). Sed quid quod illa de Pisistratidis egressio, quam Thucydides hoc loco paucis absolvit, infra uberius atque copiosius repetitur, VI 53—59? Equidem non crediderim Thucydidem de industria etiam verbosius eandem rem tractaturum fuisse, etiamsi animis lectorum penitus inculcare voluisset. Sed in ea re Cwiklinskius mihi videtur rectissime iudicasse. Primum enim, ni fallor, Thucydides longiorem narrationem l. VI composuit, quae aliqua cum molestia rerum seriem interrumpit; postea cum neque tantam verborum copiam neque ipsum locum rei convenire intellexisset, breve quoddam fecit eius compendium atque in prooemio totius operis, ubi aptissime fiunt tales expositiones, collocavit. Alteram vero narrationem non dubito quin ipse Thucydides fuerit oblitteraturus, si totum opus ad finem perducere ei contigisset. Itaque etiam hoc caput posteriori curae tribuendum esse censeo.

Non idem iudico de capite 23. Nam cum paragrapho tertia enumerentur res mirabiles et singulares, quae toto bello evenerint, ut et aliarum rerum multarum et solis defectuum crebriorum mentio fiat, permirum profecto videtur, quod lunae defectus non minus sane digni qui commemorentur hoc loco

prorsus praetermittuntur. Atqui lunae erat defectus, qui miserabilem illam cladem Atheniensibus in Sicilia contraheret atque ad exitum totius belli 27 annorum plurimum valeret. Itaque Thucydides, si res momento suo voluit dispensare, satis certe habuit, cur lunae quoque defectus attingeret, nisi forte nondum omnino novit gravissimum illum casum belli posterioris. Hoc enim nobis quidem ex silentio Thucydidis concludere necesse est: hunc locum ante annum 413 sive priore cura esse conscriptum, posteriore autem lima caruisse. Neque alia, quae in bello accidisse hoc capite narrantur, sunt eius generis, ut eidem tempori tribui vetent. De qua quidem re cum Steupio et Cwiklinskio Classeni scrupulos refutantibus plane contentio.

Iam fines, ut videtur, constituimus primi additamenti, quod Thucydides operi originali, ut ita dicam, posteriore cura inseruerit. Omnes enim locos usque ad I 22, qui quidem certum quoddam tempus designant, circa annum 404 conscriptos esse comprobavimus, caput 23 autem iam ante annum 413 fuisse compositum. Ergo luce clarius apparet totam illam quam dicimus archaeologiam, quae primis 22 capitibus continetur, siquidem per se ita est comparata, ut nihil de ea sine damno demere possis, posteriore demum cura esse adgregatam. Quae quidem sententia etiam nonnullis aliis rebus confirmatur. Monuit iam Cwiklinskius caput 22 male cum sequenti convenire, quia utrumque iam ad propriam rerum descriptionem festinare videatur, transitum autem ad caput 23 ineptius parari. Deinde repetitiones existunt in his 23 capitibus satis sane mirabiles, nisi diversa componendi tempora eis tribuamus. Quid quod etiam atque etiam confirmatur longe maximum hoc esse bellum omnium quae umquam extiterint (I 1, 2; 21, 2; 23, 2), cum iam prima huius rei commemoratio lectoribus sufficiat? Quid quod initio capitis 23 denuo bellum Persicum respicitur, de quo capite 19 iam peroratum esse videbatur? Equidem statuo unum tantummodo locum de his rebus initio censcriptum fuisse caput 23, reliquos locos neglegentia scriptoris cum capitibus 1—22 postea irrepsisse.

Transeamus ad alterum additamentum a Cwiklinskio investigatum, ad capita I 97—118. Primum quidem illud verum est, 97, 2 paragraphum, cum respiciat Hellanici Atthidem, quam schol. ad Ar. ran. v. 706 post annum 406 editam esse testatur, eodem anno esse posteriorem. Ergo quoniam huius paragraphi

verba ad totam quae sequitur rerum Graecarum adumbrationem referuntur cum eaque artissime cohaerent, cc. 97—118 a priore cura abiudicanda esse apparet. Neque tamen admodum distincte fines huius additamenti constitui posse contenderim. Potest enim valde dubitari, an quae praecedunt cc. 88—96, cum primos annos contineant illius quam dicimus pentecontaetiae, ipsa quoque simul cum subsequentibus inserta esse existimemus. Ad quam suspicionem sedandam Cwiklinskius tria maxime confert argumenta. Primum quidem I 93, 5 paragraphi verba, quae crassitudinem muri Piraei etiamtum (νῦν ἔτι) conspicuam fuisse confirmant, ad integrum murum refert. Dicit enim νῦν ἔτι sive ἔτι καὶ νῦν apud Thucydidem fere nihil exprimere nisi perpetuitatem adhuc servatam. Cui quidem regulae quamquam ego quoque adsentior, non video tamen, quanam necessitate id quod Cwiklinskius eruere vult ex ea consequatur. Sive enim statuis integrum adhuc murum fuisse, cum Thucydides haec scriberet, ex ipso muro —, sive statuis deletum, ex fundamentis certe, quae et ipsa effossa esse non crediderim, quanta fuerit eius crassitudo, licuit perspicere. Sed piget profecto de hac re multa verba consumere. Nam neque Classenus neque Steupius neque ipse Cwiklinskius negavit, certius iudicium de eo fieri non posse. Qua re tandem aliquando quaestionem de hoc loco plane ambiguam atque incertam missam faciamus neque quidquam argumenti ex eo deducamus.

Deinde Cwiklinskius capita 96 et 97 parum apte inter se conexa esse contendit. Cum enim tributum 460 talentorum, quod inde a pugna Eurymedontiaca demum collatum esse constat, iam 96, 2 paragrapho commemoretur, tamen sequenti capite scriptorem rursus ad superiora tempora describenda sese convertere, ut 100 demum capite ipsam illam pugnam referat. Sit sane. Sed inspicias, velim, vinculo quam tenui brevis illa de primo tributo adnotatio cum praecedentibus sit coniuncta. Postquam Hellenotamiae constituti esse narrati sunt (id quod a. 476 = Ol. 76, 1 factum esse Boeckhius et Kruegerus consentiunt) eosdem etiam tributum recepisse adiungitur, primum autem tributum fuisse 460 talentorum. Omnia igitur quae de tributo dicere scriptor in animo habebat hoc capite occasione data continuo enarravit, ne infra rerum cursum interrumpere cogeretur. Quod haud scio an ei non sit vitio vertendum. Subsequentibus vero capitibus, ut consentaneum est, ad nar-

rationem relictam revertitur et res anni 475 et sequentia describit. —

Tertio loco Cwiklinskius demonstrare molitur, in alia materia versari capita 88—96, in alia 97—118. Cum enim praecedentibus capitibus id egerit scriptor, ut quae esset verissima belli causa exponeret, ipsum tamen 97, 2 paragrapho principem ac praecipuam cogitationem indicare aliam, quae ad proxima capita scribenda eum commoverit. Recte quidem. Et ipse Thucydides distincte illud consilium significavit, quo longiorem addiderit hanc rerum Graecarum expositionem, sc. ut Hellanici brevem et mediocrem earum rerum adumbrationem suppleret. Quae si vitiis fuisset libera et legentibus in universum suffecisset, satis habuisset Thucydides illam historiam nominare, in qua studiosissimus quisque legere posset, quae vellet cognoscere. Sed cum aliter res se haberet, ipse narrationem de his rebus adicere coactus est. Itaque ratio certe accedebat alia, cur capita 97—118 conscriberet; verum enimvero materiam eandem etiamtum sese tractare, quam cc. 88—96 exorsus sit, ipse diserte affirmat ineunte capite 97: τοσάδε ἐπῆλθον etc. Quae cum ita sint, ego quidem vel tota capita 88—118 postea inserta esse statuerim; praesertim cum conspectus libri primi, quem ipse Cwiklinskius dedit (p. 19), non modo 97—118 sed etiam 88—96 narrationis tenorem quodammodo interrumpere doceat. Postquam enim in fine praefationis (c. 23, 5—6) causas, quibus bellum exortum sit, sese praemisisse scriptor pronuntiavit: duo autem esse genera causarum, alteram veram neque vero manifestam, quod opes Atheniensium in dies magis magisque crescentes Lacedaemoniis metum iniecissent, alteram falsam sed palam proclamatam, quam inde ab hoc loco sese velle describere: — postquam hoc fere modo scriptor de causarum generibus disseruit ac iam ad alterius generis causas enarrandas se accinxit; de illa profecto ἀληθεστάτῃ causa, quam priore loco commemoravit, orationem absolutam esse opinamur, aut certe, postquam de apertis causis peroratum sit, illum sermonem redintegratum iri expectamus. Sed neutrum nsu venit. Immo vero ineptissimo loco, in media apertarum causarum expositione copiosior illa narratio, quemadmodum Athenienses ad tantas suas opes pervenerint, interponitur, ut quasi cuneus eam in duas partes dividat. Nolo Roschero concedere, talem partium dispositionem admirabilem esse et quasi dramaticam, sed

in tota historia Thucydidia nihil inveni quod magis me offenderet. Statuo igitur primo opere Thucydidem nihil nisi pauca illa verba 23, 6 paragraphi de verissima belli causa edixisse, circa annum 404 autem, cum versaretur in retractando, et quod Hellanici historiam cognoverat mediocrem et quod ipso opere magis ornato atque amplificato etiam ampliore exordio opus esse videbatur, uberius aliquanto de hac re disserendum censuisse, atque eo fere consilio loco non ita diligenter respecto post caput 87 totam pentecontaetiae narrationem inseruisse. Nec non verba 118, 2 paragraphi, quae Cwiklinskius priori curae tribuit, ego, quoniam brevem quendam praecedentium conspectum exhibere et summam ex eis facere videntur, eodem tempore inserta esse puto, ut transitum ad narrationem sequentem, quae esset prius conscripta, pararent. Quae sententia ex eo sumit praesidium haud spernendum, quod sublata hac tota parte verba 118, 3 paragraphi tenorem inde a capite 87 intermissum optime excipiunt, ita ut nullius prorsus vocis opus sit facere mutationem.

Sed haec hactenus. Iam ad alterum Thucydidis librum transeamus, cuius capite primo vocula ξυνεχῶς vel summum strepitum atque pulverem suscitavit. Sententiarum nexus fere is est, ut dicatur: multas quidem iam antea discordias et certamina exigua inter Lacedaemonios et Athenienses extitisse, neque tamen idcirco pacem et familiarem vitae consuetudinem desita esse; proprium autem belli spatium hinc demum esse numerandum, ἐν ᾧ οὔτε ἐπεμίγνυντο ἔτι ἀκηρυκτεὶ πρὸς ἀλλήλους παραστάντες τε ξυνεχῶς ἐπολέμουν. Ei igitur condicioni, qua antea utrique usi erant, hoc loco opponitur bellum apertum, quo non nisi per praecones inter se egissent atque perpetuo armis certassent. Patet vero totius belli perpetuitatem, non primorum tantum annorum — ut Classenus voluit — his verbis pronuntiari (v. Steup. p. 7, Cwikl. p. 12). Qua re, quoniam Archidamicum tantum bellum revera gestum est continenter, Thucydidem, quo tempore hunc locum conceperit, nihil nisi illud bellum describere voluisse agnoscimus. Accedit quod reliqua quoque historia ipsum Archidamicum bellum „ξυνεχῶς γενόμενον“ vel similiter vocatur: V 24, 2; VI 26, 2. Itaque ego quidem non dubito quin hic locus e priore cura residuus sit, qua Thucydides de decennali bello adhuc cogitaverit.

Deinde de capite 20 possis dubitare, utrum post Niciae

pacem an circa annum 404 sit conscriptum. Sane non inest certum temporis indicium. Cwiklinskius autem hoc caput, quod brevem quendam conspectum exhibet Archidami consiliorum quibusque de causis ad eam qua utebatur bellandi rationem descenderit, interrumpere putat sententiarum tenorem: quare insertum esse posteriore cura concludit. Ac tantum sine dubio verum est, caput 21 ita excipere capitis 19 narrationem, ut omisso capite interposito nihil fere in continuitate verborum desideretur. Sed quod Cwiklinskius in singulis quibusdam verbis huius capitis offendit, nempe in ἐκείνῃ τῇ ἐσβολῇ, „quia plures fuisse irruptiones antea non sit commemoratum“, et in ὡς ἐς μάχην ταξάμενον, „quia de acie ab Archidamo instructa nusquam in reliqua narratione dicatur“, quod porro miratur Cwiklinskius alibi illud consilium Archidami non diserte nominari, cum tamen eius eventa narrentur capitibus 21 et 23, 1: — haec omnia ego facere non possum, quin reiectanea esse censeam. Nam praeterquam quod Cwiklinskius mihi videbatur nodum in scirpo quaerere, talia existimabam nimis tenuia adminicula atque infirma, quam quae possent istam eius suspicionem sustinere. Itaque equidem in ea sententia acquievi, ut rationes, quibus ductus Archidamus initio belli minus acriter institerit, hoc ipso capite satis commode exponi arbitrarer, neque vero de tempore certius quiddam statuere auderem.

Idem fere de II 13, 7 et 34, 7 paragraphis existimo. Sed sufficiat de his quidem rebus leviculis atque minutis Steupium citare, qui (p. 17) eandem sententiam verbosius defendit, liceatque statim transire ad II 48, 2.

Hac paragrapho verba κρῆναι γὰρ οὔπω ἦσαν αὐτόθι (Athenis) patet eo demum tempore scribi potuisse, cum Athenae iam fontibus essent instructae. Primum autem aquaeductum anno 414 a Metone geometra Athenis factum esse Ullricus coniectura admodum probabili ex schol. ad Ar. av. v. 997 adscripto elicuit. Itaque perspicimus post annum 414 demum haec verba esse conscripta, et siquidem reliquam fere belli Archidamici narrationem brevi post Niciae pacem recte statuimus exortam, haece posteriore cura adiuncta esse apparet. Restat adhuc, ut additamentum cognitum certis quibusdam finibus circumscribamus. Cuius rei duae praecipue nobis patent rationes. Aut unicum enuntiatum κρῆναι γὰρ οὔπω ἦσαν αὐτόθι insertum putabimus aut — id quod Cwiklinskius fecit — totam de origine et

proprietate morbi descriptionem, sc. cc. 48—51. Utrumque demi potest sine sensus detrimento, in neutram tamen sententiam certa argumenta possunt proferri. Etenim quod Cwiklinskius affirmavit initio capitis 52 vocem αὐτούς aliqua cum molestia ad omnes Athenienses referri, qui inde a fine capitis 47 non sint appellati — qua de causa initium capitis 52 videri olim finem capitis 47 excepisse —; ego in alteram partem moneo, totis capitibus 48—51 res ad universos Athenienses attinentes esse narratas. Quamobrem nemo potest hoc loco in dubio esse de vera verbi αὐτούς significatione, praesertim cum notum sit, hoc ipsum verbum saepissime similiter usurpari. Quae cum ita sint, ego quidem fateor me nescire, quousque fines huius additamenti extendere debeam, atque id tantum puto constare ipsa verba „κρῆναι γὰρ etc.“ posteriori curae esse tribuenda.

Proximus locus, cuius tempus possumus accuratius definire, est caput 54. Postquam narratum est, vetus illud oraculum: „Ἥξει Δωριακὸς πόλεμος etc.“ ab Atheniensibus anno 430 ad pestem depromptam esse controversiamque exortam, utrum λοιμός an λιμός recte dicatur, scriptor pergit, eo quidem tempore, ut consentaneum sit, λοιμόν vocem sibi locum vindicasse; si autem aliud bellum ingruerit Doricum hoc posterius et fames quaedam evenerit, consentaneum esse ita eos cantaturos. Quae verba quoniam anno 404 re vera fames in Athenienses grassata est, manifesto belli Deceleici inscientiam ostendunt, neque igitur circa annum 404 scribi potuerunt. Quae vero Classenus (in praef. p. XXXIV) contra disputavit: non de quavis fame hoc loco esse cogitandum, sed de fame divinitus missa et ad belli mala etiam accedente, ea ego quidem pro nugis habeo ad excusandum Thucydidem confictis — cum praesertim etiam pestilentia anni 430 maxime bello et obsidione urbis sit effecta. Itaque cum Steupio et Cwiklinskio statim post annum 421 hoc caput compositum esse arbitror.

Capite 57 nihil efficitur. Nam quod Thucydides irruptionem anni 430 omnium nominat maxime diuturnam, minime pugnat cum longiore Lacedaemoniornm mora, cum Deceleam munirent: hoc enim fuisse ἐπιτείχισιν non ἐσβολήν Classenus recte animadvertit.

Supersunt huius libri capita 65 et 100, 2 iam ab Ullrico posteriori tempori tributa, quae laudes continent Periclis et Archelai. Quorum alterum, quia attingit expeditionem Siciliensem

et miserabilem exitum totius belli, non nisi post annum 404 potuit conscribi; alterum, cum Archelaus per annos 413—399 regnaverit, Thucydides autem vivum neminem laudibus efferre soleat, vel post annum 399 additum esse verisimile est. Sed ipsa paragraphus 100, 2 non speciem praebet adnotationis postea adscriptae neque facile eximi potest e sententiarum tenore. Itaque totam de Sitalcae expeditione egressionem, quae continetur capitibus 95—102, 1 postea accessisse Cwiklinskius coniecit. Quae sententia praeterquam quod Thucydides paullatim demum inter exili tempora accuratam illam Thraciae locorum cognitionem sibi parasse videtur, etiam ea firmatur ratione, qua narratio capitis 93 capite 102 continuatur. Tantum enim abest, ut peior evadat conexus, si capita illa inter se coniunxeris, ut contra ex rebus ante excessum narratis, non ex ipso excessu, designatio temporis in capite 102 depromatnr (ἐπειδὴ τὸ τῶν Πελοποννησίων ναυτικὸν διελύθη); quamquam interpositis tot capitibus paene obliti sumus rerum superiorum. Itaque totam de Sitalca egressionem, quae interrumpit quodammodo sententiarum tenorem, posteriore cura interiectam esse Cwiklinskio adsentior.

Transimus ad librum III, cuius et ipsius altera pars priori curae altera posteriori videtur esse tribuenda. Atque 82 et 83 quidem capitibus Thucydides tam plene ac diserte de seditionibus in Graecis civitatibns exortis disserit, ut eum etiam Deceleici belli motus civiles, imprimis Athenis factas, in animo habuisse agnoscas. Itaque apparet haec capita addita esse post annum 404.

Neque minus c. 86, 4 verba: πρόπειράν τε ποιούμενοι, εἰ σφίσι δυνατὰ εἴη τὰ ἐν τῇ Σικελίᾳ πράγματα ὑποχείρια γενέσθαι, quoniam videntur designare grandem expeditionem annorum 414 et 413, fortasse produnt additamentum. Sed licet etiam statuere Thucydidem tertium hunc librum vel priore cura non ante annum 414 lucubrasse, id quod infra etiam clarius cognoscemus (v. Steup.). Itaque tempus huius loci incertum relinquimus.

Incertum etiam de c. 87 iudicium videtur. Quo capite cum pestilentia praedicetur maxime omnium malorum Atheniensium opes contrivisse (ὥστε Ἀθηναίων γε μὴ εἶναι ὅτι μᾶλλον ἐκάκωσε τὴν δύναμιν) quaestio exorta est, an clades Siciliensis vel turbae atque seditiones bello Deceleico factae etiam magis quam pestis copias Atheniensium minuerint. Atque Ullricus quidem quique

ab eius partibus stant ita sentientes ante annum 414 hoc scriptum esse statuunt; Stahlius (praef. p. XII) contra inferiorem fuisse caedem Siciliensem ratiocinatione assequitur; Classenus denique putat de eis tantum rebus, quae praeter ipsius belli vim adauxerint Atheniensium detrimenta, hic esse cogitandum. Qui id quidem recte sensisse mihi videtur, nullam esse omnino hoc loco inter pestilentiam et unam quandam cladem comparationem. Sed mea quidem sententia hoc tantum a Thucydide exprimitur: ipso bello Athenienses non ita multum detrimenti accepisse, sed pestem fuisse summo loco, quae vires eorum attereret. Quodsi ita interpretamur, prorsus non opus est de eius temporis quod insecutum est rebus cogitare, sed belli id temporis noxa cum pestis noxa comparatur. Nihil igitur de tempore huius loci efficitur.

Sequuntur l. IV c. 48 p. 5 verba: καὶ ἡ στάσις πολλὴ γενομένη ἐτελεύτησεν ἐς τοῦτο ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε. Ex eis, quae in fine huius enuntiati legimus, suspicamur postea, sc. post annum 425, Corcyrae novas atque similes exortas esse seditiones, quas ipsas quoque iam cognoverit Thucydides, cum haec verba conscriberet. Habemus autem de hac re nihil aliud compertum, nisi quod Diodorus Siculus (XIII 48) memoriae tradidit: anno 410 revera bellum intestinum in illa insula denuo exarsisse. Quod testimonium, quandoquidem bene quadrat ad suspicionem supra demonstratam, vel maxime fidei nostrae commendatur. Quamquam illud quoque est respiciendum, quod alias Diodorus nonnumquam parum certum se praebuit auctorem. Sed parvo, credo, hoc est momento, ubi alia omnia optime inter se conveniunt; et plane Cwiklinskio adsentior dicenti „ea tantum de causa Classenum Diodoream relationem in dubium vocasse, ut opinionem suam de Thucydidiae historiae compositione quovis modo defenderet.“ Itaque ego quidem cum Diodoro fidem habendam esse censeam, iam duas res potissimum clare et dilucide cognosco: Primum verba, de quibus agimus, non sunt composita ante annum 410, deinde non 27 sed 10 annorum bellum significant. Sequitur, ut Thucydides etiam anno 410 nondum cogitaverit de bello 27 annorum; quippe qui adhuc in priore cura essent occupatus. Quae cum ita sint, ne Ullricus quidem postea inserta esse verba ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε mihi persuasit, sed optimum duxi, id quod Steupius fecit, statuere: Thucydidem quamquam exorsus sit non multum

post annum 321, tamen circa annum 410 nondum longius progressum fuisse in historia describenda quam ad hunc fere locum IV 48.

Igitur capita I 1—IV 48 videntur in universum dolata esse intra annos 421—410. Addita autem post annum 404 ea fere sunt putanda, quae supra illustravimus: I 1, 1—22, 88—118; II 48, 2, 65, 95—102; III 82—83.

Iam in eo est, ut de reliquae belli Archidamici partis (IV 48—V 25) temporibus quaestio instituatur. Ullricus quidem inde a l. IV c. 48 omnia post annum 404 conscripta esse putavit, quamquam certa documenta afferre non potuit. Steupius autem et Cwiklinskius circa V 25 demum finem primi operis statuunt.

Primum velim inspiciamus IV 74, 4. Qua paragrapho postquam, quomodo Megaris tandem optimates vicerint, scriptor explanavit, in fine narrationis addit: καὶ πλεῖστον δὴ χρόνον αὕτη ὑπ' ἐλαχίστων γενομένη ἐκ στάσεως μετάστασις ξυνέμεινεν. Quamquam igitur effecta fuerit a paucissimis tamen hanc rerum condicionem longissimum tempus Megaris durasse. Ex hisce verbis, quoniam scriptor non dicit, etiamtum illam factionem r e g n a r e, sed tantum longissimum tempus r e g n a s s e, licet aliqua cum probabilitate colligere, post expulsos demum optimates caput esse conscriptum. Cumque Diodori testimonio (XIII 65), valuisse adhuc optimatium partes anno 409, comprobetur, certe post illum annum Thucydidem haec scripsisse apparet. Quamquam non necessario, ut locum alteri curae tribuamus, cogimur hac conclusione, quia idem, quod supra in c. 48, licet hic quoque conicere: Thucydidem etiam paullo post annum 409 in priore cura versatum esse. Nihil igitur hoc loco efficitur.

Idem fere sentio de IV 81, 2. Nam quod Brasidae anno 424 virtus et prudentia dicitur etiam ἐς τὸν ὕστερον μετὰ τὰ ἐκ Σικελίας πόλεμον Lacedaemoniis apud socios fidem fecisse, ego quidem nihil video necessitatis, cur anno circiter 408, quo tempore plures iam socii ab Atheniensibus deficiebant (Chii VIII 14), hanc parapraphum putemus posteriorem; neque igitur 80, 5—81 postea insertum esse Cwiklinskio concedo.

Neque magis necessarium puto IV 108, 4 ad extremum belli Deceleici finem referri. Nam quod opes Atheniensium etiam multo maiores expectatione postea sese praestiterunt, id vel maxime cadit in aestatem anni 413: quo tempore Athenienses

simul in Sicilia simul in sua ipsarum terra oppressos omnes nervos contendisse et omnium opinionem superasse a Thucydide diserte confirmatur (v. VII 28, 3). Iam vero si circa annum 408 hunc librum scriptum esse posuerim, omem scrupulum remotum esse existimarim.

Sed limae vestigia Cwiklinskius indagavit, ex quibus retractatam esse hanc quoque operis partem videtur elucere, scilicet in l. V cc. 15—17. Quamquam enim iam c. 14 de pacis studiis, quae fuerint utraque parte, oratio ad finem perducta est, cum pp. 1—2 Atheniensium, 3—4 Lacedaemoniorum rationes expositae sint, quamquam ipsum capitis 15 initium ita est conformatum, ut quasi speciem conclusionis praebeat et sermonem ad alias res videatur transferre (ταῦτ' οὖν ἀμφοτέροις etc.); denuo tamen in eis quae sequuntur materia modo relicta tractatur usque ad c. 17 p. 1. Verbis igitur καὶ οὐχ ἧσσον .. (15, 1) ... usque ad προυθυμήθη τὴν ξύμβασιν (17, 1) turbatur mirum in modum nexus sententiarum et ordo hucusque servatus. Quin etiam sublata tota hac parte ipsa sententia aliquanto melior evadit. Nam cum hodierno verborum statu c. 17 p. 2 „καὶ τόν τε χειμῶνα τοῦτον ᾔεσαν ἐς λόγους etc.“ aliqua cum molestia sibi sumat subiectum „Λακεδαιμόνιοι καὶ Ἀθηναῖοι“, omissa hac parte ex verbo ἀμφοτέροις sententia egregie suppletur. Quae cum ita sint, ne Steupio quidem crediderim interpolatoris hoc esse additamentum (v. mus. Rhen. XXV 273 et 594), sed ab ipso Thucydide altera cura insertum esse mihi videtur.

Sane unus hic est locus, unde aliqua cum probabilitate retractatum esse hunc quoque librum concludamus, neque adeo firmiter reliqua huius partis capita omnia priori curae adiudicaverim. Sed quoniam aliis sententiis plane desunt argumenta, ego tamen hac re nisus capita IV 48—V 20 ipsa quoque ante annum 404 concepta esse statuo. Terminus autem, ubi opus prius conscriptum olim finem habuerit, in l. V cc. 20—24 videtur inesse, neque vero distinctius constitui potest.

Antequam sermonem alio transferamus, oportet de orationibus prioris historiae partis adhuc praetermissis pauca repetere. Orationes igitur, quas quidem dicimus directas, et ex ipsius scriptoris verbis (v. I 22, 1) et ex aliis compluribus rebus, quas Cwiklinskius (p. 46) congessit, constat non verbo tenus, ut olim revera habitae erant, a Thucydide descriptas esse, sed libero quodam arbitrio ita conformatas, ut intimae et penitus

reconditae personarum rerumque rationes eis exprimerentur. Quod consentaneum est Thucydidem non ea quam hodie quoque miramur praestantia atque accuratione executurum fuisse, nisi, priusquam ipsas orationes elaboraret, argumenta et quasi instrumenta causarum summatim in adversariis quibusdam consignata habuisset. In opere autem prius conscripto quales fuerint orationes, utrum habuerint adhuc illam formam incomptam ac minus perfectam, an eaedem in universum iam fuerint, quas hodie legimus, id nos quidem non nisi mera coniectura possumus eruere. Sane Cwiklinskius libri VIII intuitus materiam, quae quamquam saepius admodum sit idonea, quae directis orationibus exornetur, ubique tamen teneat formam indirectam, eum librum e priore cura etiam residuum esse suspicatur et similes fere omnes eo tempore orationes extitisse contendit. Certiora autem argumenta de paucis tantum orationibus vel partibus orationum potuit proferre, sc. I 33, 3; 36, 1; 77, 6; 81; 82, 1; 122, 1; 142, 2—3; qui quidem loci, quoniam praepostera quasi tempora indicant, simul cum ceteris, quae supra exhibuimus, postea inserti esse videntur. Neque tamen tam facile concesserim, omnino directas orationes posteriore demum cura esse inventas, sed de hac quidem re nondum satis liquere confiteor.

Sed de hac re hactenus. Sequitur ut de altera historiae Thucydidiae parte verba faciamus (V 25 — VIII 109). Quae capita, cum usque ad proximum annum uno fere tenore conscripta esse putarentur, Cwiklinskii disputatione nuper edita (Hermes 1877, 1. p. 23—86) ipsa quoque in diversa tempora sunt dissipata. Eximit enim Cwiklinskius libros VI et VII, qui res gestas annorum 415 — 13 complectuntur, eorumque maximam partem, quae quidem versatur in rebus Siciliensibus, ante annum 404 separatim conscriptam fuisse contendit. Nempe initio nondum in mentem venisse Thucydidi, res in Sicilia gestas pro parte quadam belli Peloponnesiaci esse habendas, sed proprium opus et a reliquo disiunctum de eis componere voluisse. Ita post annum 404 res Graecas separatim scribere eum perrexisse et primum opus Sicilia prorsus non respecta usque ad aetatem anni 411 continuasse. Cum vero inter scribendas has res intellexisset, etiam ea, quae in Sicilia usu venissent, bello 27 annorum esse assignanda, iam priore scriptione abrupta eum omnia, quae quidem spectant ad Siciliam, sc. III 86, 88, 90, 99, 103, 115 sq.; IV 1, 2, 5, 24 sq., 46, 48, 58—65;

V 4—5, denique totos paene libros VI et VII in rerum Graecarum orbem inseruisse, non multa tamen opera consumpta. Postremo autem ad retractandum et elimandum totum opus animum convertisse, sed priusquam finem libri IV absolvisset, subita morte esse interceptum.

Haec fere est Cwiklinskii de compositis posterioribus libris sententia. Argumentis utitur maxime hisce. Primum quidem librum quintum monet durioribus sententiis deformari et saepe obscurari, cum ei qui sequantur libri VI et VII admodum claram et illustrem exhibeant de bello Siciliensi narrationem. Magis igitur expolitos esse eos libros opinatur. Quod ita explicat, ut separato opere eos iam antea elaboratos esse dicat. Sed quid si Thucydides libentius versabatur in magnifica illa Siciliensi tragoediae quam in exiguis librorum praecedentium turbis? Quid si propterea statim cum primum conscriberet, plus temporis atque diligentiae in ea consumpsit? Mea quidem sententia haec explicatio satis est idonea ad omnes qui quidem Cwiklinskium vexant scrupulos removendos; neque igitur sine gravi quadam causa hanc rationem relinquo.

Sed offendit praeterea Cwiklinskius, quod nullo omnino loco neque in libris VI et VII neque in reliquo opere, quaenam intercedant rationes inter Peloponnesiacum bellum et Siciliense, demonstratur, cum minime sit consentaneum sua quemque sponte illa bella inter se coniuncturum fuisse, nisi Thucydides primus fecisset. Quae autem revera extant designationes belli Peloponnesiaci in libris VI et VII (VI 93, 105 etc.) et belli Siciliensis in reliquis libris (III 86, 88), eas postea additas esse conatur comprobare. Atque de his quidem locis singulis infra disputabimus. Nunc in eis subsistamus, ex quibus Cwiklinskius disiuncta olim fuisse opera de duobus illis bellis elucere contendit. Tantum enim, dicit Cwiklinskius, abesse ut ubique pro uno habeantur bellum Peloponnesiacum et Siciliense in ipsis libris VI et VII, ut contra saepius inter se opponantur ac diserte discernantur: VI 1, 1; 36, 4; VII 28, 3. Dicuntur autem his locis Athenienses, cum contra Syracusanos profecti sint, bellum non inferius suscepisse bello Peloponnesiaco. Comparantur igitur inter se bella sive belli partes, ut demonstretur alterutrius magnitudo, et discernuntur ex terris, in quibus gesta sunt. Accedit, quod omnino res in Sicilia gestae saepenumero nomine πόλεμος significantur, ut VI 44, 1; 88, 6; VII 7, 2; 55, 4.

Sed nescio an tota haec res nihil habeat miri: nam etiamsi Thucydides unum tantum bellum in animo habuit, tamen, credo, fieri non potuit, quin fatali illo vocabulo „πόλεμος“ interdum uteretur, cum opus esset singulas eius partes in diversis terris gestas breviter ac distincte significare. Sicuti Thucydides ne in reliquo quidem opere tales significationes vitavit, sed V 26 de Μαντινικῷ et Ἐπιδαυρίῳ itemque VIII 11 de Ἰωνικῷ πολέμῳ dicere ausus est. Neque tamen idcirco quisquam illa bella non fuisse partes belli 27 annorum contendat. Hoc igitur Cwiklinskii argumentum ego quidem nihili facio. Immo vero loci supra allati (VI 1, 36; VII 28), quia respiciunt bellum Peloponnesiacum tamquam omnibus notum, mihi optimam videntur cum eo iuncturam efficere. Neque ipse Cwiklinskius idem non sensit: nam p. 74 l. VII c. 28 pp. 3 et 4 postea insertas esse dicit, quo facto eis in historia belli Siciliensis locum non esse concedit.

Pergit Cwiklinskius non debuisse Thucydidem tam longam de rebus Siciliensibus facere orationem, praecipue in Siciliae historia antiquissima, quae tantopere explanata vel toto caelo distet ab ipso bello Peloponnesiaco. Ac profecto ne ego quidem possum negare hanc rem gravissimum habere momentum. Nam et ipsa expeditio tam plene atque copiose narratur et exordium de Siciliae antiquitate adeo dilatatur, ut libri VI et VII propriam ac singularem historiam videantur implere. Neque tamen hae res sunt eius generis, ut non alia quoque ratione possint excusari. Etenim qui quidem diligenter observaverit Thucydidis scribendi proprietatem, is vel inprimis animadvertet singulas partes, prout sententiae quodam vinculo cohaereant, etiam compositione in orbes quosdam esse constrictos, ut exemptae ex universo opere suo iure pro totis atque omnibus numeris perfectis possint haberi. Tales, ut ita dicam, materiae complexiones in toto paene opere sepositas brevius modo modo uberius scriptor exornat; interdum etiam, ut fit, merito amplius sermonem effundit, quaeque res est inferiore momento, ei nimium in historia spatium concedit. Praecipue autem videtur Thucydides ea, quae ipse oculis viderat, in describendo etiam altius repetiisse. Velut in rebus Thraciis mira cum longitudine et accuratione versatur (cf. II 95—101; IV 102, 109, 124—128), quia, cum haberet possessiones in illa regione, multa quae ibi accidebant ipse suis oculis conspiciebat, cetera ab incolis accu-

ratius comperiebat. Itemque V 64—75, ubi de pugna apud Mantineam commissa plenam atque uberem profert narrationem, maxime consentaneum est eum ex sua ipsius memoria haurire. Eodem modo ea, quae in Sicilia annis 415—413 facta sunt, quod verbosius quam solet Thucydides narravit, ita fortasse recte explicabimus, ut scriptorem ipsum spectavisse dicamus. Quae autem de Siciliae antiquitate praemittit, quae sine dubio ex Antiochi Σικελικοῖς paullo copiosius sunt deprompta (v. Wölfflin: Antiochus v. Syrakus), ea non aliter accipienda esse puto, quam quae IV 102 de Amphipolis urbis historia priore legimus. Utraque expositio quasi exordium continet longioris narrationis subsequentis certioremque facit eum qui legit de locorum condicione qualis prioribus temporibus fuerit; et quanto copiosius agitur de bello Siciliensi quam de Amphipoli capta, quae paucis capitibus absolvitur (IV 103—108), tanto latius etiam fines eius exordi extendi oportebat quam rerum Amphipolitanarum. Vereor igitur magnopere ne Cwiklinskius haereat in re simplici et parum suspiciosa, ad quam quidem explicandam non opus sit ista componendi ratione.

Denique Cwiklinskius non congruere dicit bellum Siciliense ll. VI et VII narratum cum partitione belli 27 annorum, quae datur V 25, 26. Cum enim tres potissimum partes his capitibus discernantur, bellum decennale, tempus dubiae pacis, bellum postea ex ea exortum, fieri non posse ut uni ex eis totum bellum in Sicilia gestum adnumeretur. Ergo Thucydidem cum haec capita scripserit, illud bellum non habuisse pro parte quadam belli Peloponnesiaci atque ea de causa ne attingere quidem voluisse. Nam quae Classenus referat ad bellum Siciliense capitis 25: ἔξωθεν δὲ μετ' ἀνοκωχῆς οὐ βεβαίου ἔβλαπτον ἀλλήλους τὰ μάλιστα, et capitis 26: καὶ ἐς ἄλλα ἀμφοτέροις ἁμαρτήματα ἐγένοντο, ea nimis esse exigua, quam quae possint de gravissimo illo casu intelligi. Priusquam ad examinanda huius sententiae argumenta progrediamur, videamus, si placet, quidnam ea assumpta proficiamus. Si enim, quamvis eam secuti simus, non omnes nodos expediverimus, parvi certe eius auctoritatem fiaciemus. — Contendit Cwiklinskius expeditionem in Siciliam factam adeo fuisse gravem, ut verbis supra dictis non potuerit significari. Quid quod idem nihilominus putat eius rei nullam omnino mentionem in his capitibus factam esse? Num cogitatione possumus comprehendere ea quae non debuerint paucis absolvi

debuisse prorsus silentio praeteriri? Ego mehercle non desinam hoc infitiari: nam plane incredibile mihi videtur, Thucydidem, qui quidem quantum valuisset miserabilis illa clades, cum scriberet V 26, non ignorabat, in Peloponnesiaci belli historia eam prorsus neglexisse. Immo vero si eam quam hodie legimus rerum Siciliensium descriptionem postea accessisse arbitramur, breviorem tamen fuisse in historia Peloponnesiaci belli statuamus oportet; neque minus in conspectu totius belli, quem exhibet l. V cc. 25, 26, aequum erat illam expeditionem breviter designari. Ergo Cwiklinskius mihi videtur nihil efficere, cum dicit Thucydidem l. V cc. 25, 26 de industria de bello Siciliensi tacuisse; nam quamvis concesserimus ei locum non fuisse in finibus belli Peloponnesiaci, non tollitur tamen summa eius vis atque gravissimum in eventu rerum subsequentium momentum: quae quidem res satis dignum mihi videntur reddere hoc bellum, quod tali loco commemoretur. Et verbis supra allatis quamquam non possum demonstrare bellum Siciliense designari, parum tamen causae invenio cur de eo cogitandum esse negem. —

At expeditio in Siciliam facta male sane quadrare videtur ad tripartitam illam belli 27 annorum divisionem, cum pars eius tempore dubiae pacis, pars bello Decelcico contineatur. Terminus, qui interest inter dubiam pacem et bellum redintegratum, a Thucydide V 25, 3, ut codices quidem exhibent, hoc modo definitur: καὶ ἐπὶ ἓξ ἔτη μὲν καὶ δέκα μῆνας ἀπέσχοντο μὴ ἐπὶ τὴν ἑκατέρων γῆν στρατεῦσαι, ἔξωθεν δὲ . . . . . . ἔπειτα μέντοι καὶ ἀναγκασθέντες λῦσαι τὰς μετὰ τὰ δέκα ἔτη σπονδὰς αὖθις ἐς πόλεμον φανερὸν κατέστησαν. Sex igitur annos et decem menses dicuntur Lacedaemonii et Athenienses nullam irruptionem fecisse, sed per deverticula quasi et flexiones inter se bellasse: aliquanto autem postea (sic enim Ullricus p. 166 recte interpretatur ἔπειτα) eos foedus solvere coactos esse atque iterum apertum bellum inisse. Terminus, a quo haec ratiuncula est subducenda, cadit in finem Munychionis mensis (initium Mai) anni 421 (v. Unger Münch. acad. 1875 p. 43, Classen in adnot.). Ergo in fine Anthesterionis (initio Martii) anni 414 prima videtur denuo irruptio facta esse ab alterutra parte in alterorum terram, quo facto mox etiam foedus solvebatur. Verum enimvero claris et distinctis verbis Thucydides haec momenta nusquam denotavit. Omnia, quae de hac re comperimus, conti-

nentur VI 93, 105, VII 18 capitibus. VI 93 Lacedaemonii Alcibiade suadente Gylippum in Siciliam mittere et Deceleam munire decernunt. Itaque inde ab initio anni 414 iam apertum bellum a Lacedaemoniis paratur. Neque tamen aestate eiusdem anni id publice indictum fuisse VI 105 ostendit: nam hoc ipso capite eae Atheniensium naves triginta, quae Argivis subvenerunt, dicuntur manifestissime foedus solvisse. Simul autem additur iam antea hoc minus manifesto factum esse praedationibus a Pylo maxime institutis. Atque de his potissimum praedationibus, quas inde a vere anni 414 in Messenia factas esse consentaneum est, licet nobis sine dubio cogitare, cum legimus: καὶ ἐπὶ ἓξ ἔτη μὲν καὶ δέκα μῆνας ἀπέσχοντο μὴ ἐπὶ τὴν ἑκατέρων γῆν στρατεῦσαι: nam et tempus idem est, quod illo loco indicatur, sc. initium anni 414, et Messeniam inde ab antiquis temporibus Lacedaemoniorum fuisse quis ignorat? Tandem igitur irruptione VI 105 descripta videntur Lacedaemonii permoti esse, ut palam a foedere recederent; initio autem sequentis anni Deceleae ἐπιτειχισμὸν iam dudum decretum exequuntur (VII 18, 19). Sed alia quoque res interea evenerat, quae τὸν πόλεμον φανερὸν testaretur, Gylippi Syracusas adventus, qui VII 1, 1 narratur. Simulatque enim subsidium a Lacedaemoniis publice decretum Syracusanos adiuvit, quasi uno ictu belli proprietas immutata est et ex Siciliensi bello repente prodiit Peloponnesiacum. Circa hoc igitur potissimum tempus i. e. aestate anni 414 apertum bellum initium cepisse statuemus. Sane habet aliquid miri, quod Thucydides non diserte edixit hoc tempore bellum esse indictum. Sed forsitan bellum omnino non est legitime pronuntiatum, cum foedere ab Atheniensibus impie rupto Lacedaemonii id facere supervacaneum putarent: fortasse status dubiae pacis gradatim in apertum bellum transducebatur. Nempe ipsa verba V 25, 3 paragraphi mirum in modum contorta atque ambigua videntur mihi hoc indicare: paci scriptor nihil nisi 6 annos et 10 menses tribuere audet, neque tamen id temporis spatium, quod subsequitur, statim bello aperto assignat, sed aliquanto demum post statuit eius initium. Ex ea loquendi ratione videtur mihi elucere, non nisi paullatim transitum ad apertum bellum factum esse, et propterea eius initium a Thucydide non accuratius esse definitum, quia nimis dubia et anceps erat rerum id aetatis condicio, quam quae certum quoddam punctum temporis ei commendaret.

Hoc fere modo equidem puto scripturam a codicibus traditam (ἓξ ἔτη καὶ δέκα μῆνας) posse defendi ideoque eam esse servandam. Ceteri interpretes paene omnes censuerunt hunc locum emendatoris indigere, eumque mole quadam coniecturarum obruerunt. De quibus coniecturis quoniam ego eis non opus esse arbitror, liceat mihi esse brevissimo. Ceterorum quidem sententias, inprimis Ullrici (p. 151—168), τέσσαρας μῆνας esse scribendum, a Classeno et Cwiklinskio plane censeo refutatas. Ipse vero Cwiklinskius Kruegeri auspiciis ἑπτὰ ἔτη καὶ τέσσαρας μῆνας ponit, ita ut Thucydidem dicat hoc loco irruptionem aestatis anni 414, VI 105 descriptam, respexisse. Eas enim quae praecedebant praedationes a Pylo factas minores, credo, existimavit, quam quae possent verbis supra allatis significari. Atque ne hanc quidem rei explicationem ego respuerem, nisi difficillimum esset demonstrare, qua ratione illi quos legimus numeri in libros irrepserint. Nam quod Cwiklinskius suspicatur, librarium quendam, qui expeditionem Siciliensem totam bello Deceleico tribueret, de industria ἑπτά in ἕξ mutavisse, deinde neglegentia τέσσαρες in δέκα (δ in ι) esse corruptum, ea profecto explicatio tam artificiosa est, ut complicationem potius esse dixerim.

Itaque ego quidem satius duco lectione a codicibus tradita acquiescere, ita ut praedationes initio anni 414 a Pylo factae pro fine dubiae pacis habeantur. Sane ego cum ita sentiam, dimidiam fere partem belli Siciliensis paci, dimidiam bello Deceleico tribuo; id quod Cwiklinskius paene amentis esse dicit. Sed nemo poterit non idem mecum profiteri: nam extremus terminus belli Peloponnesiaci redintegrati est ver anni 413, quo Lacedaemonii in Atticam irruperunt (VII 19), cum tamen bellum Siciliense aestate demum exeunte sit finitum. Neque ego in hac divisione belli Siciliensis quidquam scrupuli invenio. Cum enim circa idem tempus, quo bellum in Graecia redintegrabatur, aestate anni 414, etiam res Sicilienses ex Gylippi adventu quasi novum stadium ingrederentur, revera bellum Siciliense ita potest intellegi, ut inde ab hoc demum tempore ad Peloponnesiacum referri dicatur. Quod vero Thucydides illum quasi rerum cardinem non certius definivit, id potissimum mihi videtur egisse, ut pacem, quae quidem semper fuit ambigua, (οὐκ εἰκὸς ὂν εἰρήνην αὐτὴν κριθῆναι) non nisi paullatim in apertum bellum effluxisse indicaret.

Nescio an his rebus perpensis sublata sit omnis difficultas. Cwiklinskius autem ex rebus supra allatis iam conclusionem facit: Thucydidem cum componeret l. V cc. 25, 26 Peloponnesiaci belli descriptione res Sicilienses comprehendere noluisse. Ergo de eis iam seorsum scriptum fuisse. Ad hanc vero sententiam ego quidem descendere non possum, quia nimis artam puto affinitatem belli Siciliensis, quam quod possit sine totius operis detrimento praetermitti. Quamquam igitur libenter concedo, nos carere posse copiosa illa et abundanti huius materiae tractatione, necessario tamen breve quoddam eius compendium requiro, sine quo posterioris belli cursum male quidem intellegamus.

Novam quandam argumentorum copiam Cwiklinskius promit ex eis librorum VI et VII locis, qui quamquam res prioribus quinque libris iam narratas attingant, nullam tamen prioris narrationis designationem, ut ᾗ πρότερον δεδήλωταί μοι, contineant. Tales locos affert quinque. De primo quidem loco (VI 1, 2) liceat mihi esse brevissimo. Nam quod scriptor hic loci in freti Sicuti descriptione non diserte se refert ad ea quae supra (IV 24, 4) de hac re protulit, mihi quidem minime suspectum visum est.

De digressione in Pisistratidarum rebus versante (VI 44—59) iam supra ipsum Cwiklinskium secuti omnes nodos expedivimus. Cum enim breviorem eius rei expositionem (I 20, 2, 3) nihil nisi compendium huius narrationis posteriore cura adiectum statuerimus, nobis quidem mirum esse non poterit, quod Thucydides hoc loco illam non commemorat.

Offendit porro Cwiklinskius in l. VI c. 15 p. 2. Hac enim paragrapho Alcibiades quasi nova necdum nota persona in scaenam prodit, quamquam iam V 43, 2 eius mores eiusque in civitate condicio est descripta. Neque tamen ex hac quidem re, quamvis magna verborum copia aliquis disputaverit, quidquam certi erui posse crediderim. Etenim alias quoque, ubi praecipua cuiusque vis atque auctoritas maxime valet, scriptor, ut consentaneum est, universam eius personam lectori in memoriam revocare solet. Cuius consuetudinis latius patentis unum potissimum hic affero exemplum ex l. IV c. 21 p. 3 petitum. Cleon enim qualis fuerit in republica gerenda quamquam iam narratum est III 36, 6: ὢν καὶ ἐς τὰ ἄλλα βιαιότατος τῶν πολιτῶν τῷ τε δήμῳ παρὰ πολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατος, Thucydi-

des tamen prius quam ad res ab eo Pyli gestas accedit depingendas, quin proprietatem eius nobis iterum ante oculos ponat, non praetermittit. Legimus l. IV c. 21 p. 3: Κλέων ὁ Κλεαινέτου, ἀνὴρ δημαγωγὸς κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὢν καὶ τῷ πλήθει πιθανώτατος. Quae quidem cum nihil nisi repetitionem contineant loci prioris, nondum tamen viris doctis displicuerunt. Itemque loci a Cwiklinskio in quaestionem vocati, qui habent mirificam quandam cum illis similitudinem, sine ulla offensione leguntur: nam VI 15, 2 Alcibiades, quoniam primas quasi partes egit in rebus quae subsequebantur, commode a scriptore repraesentatur.

Sequitur VII 71, 7, ubi Atheniensium in Sicilia miseria cum ea condicione, qua Lacedaemonii ad Pylum utebantur, comparatur. Cwiklinskius enim, quia non ponitur hoc loco diserta prioris narrationis (IV 14) designatio, seorsum haec conscripta fuisse coniecit. Atqui ipsum breve Thucydidis dictum „παραπλήσια τε πεπόνθεσαν καὶ ἔδρασαν αὐτοὶ ἐν Πύλῳ“ nulla addita temporis significatione, eandem rem supra iam copiose descriptam fuisse, videtur probare. Itaque ego quidem auctoritatem eius loci parvi facio neque quidquam ex eo concludi posse arbitror.

Unus locus, quo ita priora repetuntur, ut ego quoque in eo haeream, est l. VI c. 31 p. 2. Qua paragrapho cum apparatus in Siciliam instructus cum exercitu anno 430 a Pericle et Hagnone coacto componatur, iure sane miramur paene eandem copiarum enumerationem atque II 56, 2, ubi illa descripta sunt, occurrere. Legimus enim in codicibus: τετράκις γὰρ χίλιοι ὁπλῖται αὐτῶν Ἀθηναίων καὶ τριακόσιοι ἱππῆς καὶ τριήρεις ἑκατὸν καὶ Λεσβίων καὶ Χίων πεντήκοντα καὶ ξύμμαχοι ἔτι πολλοὶ ξυνέπλευσαν. Quae verba accuratius etiam quam historia anni 430 numerum copiarum referunt, cum id quod additur καὶ ξύμμαχοι etc. II 56, 2 desit. Quaeritur, qui hoc explicetur, quod Thucydides non simpliciter priorem relationem citavit, sed iterum accurate atque adeo accuratius quam illic singula enumeravit. Cwiklinskius igitur alterum locum alteri operi adiudicavit, ut dicat Periclis expeditionem, cum lectoribus belli Siciliensis adhuc ignota fuerit, hoc loco iterum describi. Sed cur tandem plures etiam copias Thucydides hoc loco enumerat quam in propria rei descriptione, ubi magis certe erat, quod copias plene recenseret? Num statuamus Thucydidem, cum scriberet librum VI, hoc accuratius

compertum habuisse? Vix crediderim. Immo vero grammatici cuiusdam loquacitatem videor mihi in his verbis agnoscere, qui cum sapientiam suam vellet ostentare, facere tamen non potuit, quin mendaciunculum illud de sociis immisceret. Postea, ut fit, eius adnotatio e margine, ubi adscripta fuerat, in verborum ordinem irrepsit. Sed etiamsi in belli Siciliensis historia legatur, molesta potius quam utilis est ad sententiam efficiendam, ut perquam libenter ea careamus. Quamobrem ego quidem spuria esse verba a Cwiklinskio sollicitata persuasum habeo.

Iam vero cum Cwiklinskii argumenta non admodum speciosa esse sit demonstratum, contra ex tota Thucydidis historia multa possunt conferri, quae res in Sicilia factas arto quodam vinculo cum reliquo bello coniuncta esse indicent, quae Cwiklinskius non nisi aegre possit explicare. Primum huc pertinent omnia ea librorum III—V capita, quae priores Atheniensium in Siciliam expeditiones describunt, quibus scriptor commode praefatur III 90: ἃ δὲ λόγου μάλιστα ἄξια ἢ μετὰ τῶν Ἀθηναίων οἱ ξύμμαχοι ἔπραξαν ἢ πρὸς τοὺς Ἀθηναίους οἱ ἀντιπολέμιοι, τούτων μνησθήσομαι. Haec quidem capita posteriora esse libris VI et VII et in retractatione demum inserta Cwiklinskius nullo prorsus documento potest comprobare. Sed multo plura et graviora in ipsis VI et VII libris insunt, quae bellum Siciliense uno consilio cum bello 27 annorum conceptum esse coarguant: quos locos Cwiklinskius facere non potest, quin omnes postea insertos esse statuat. Atque de parte quidem eorum revera hoc molitur demonstrare, de parte postulat tantum, partem omnino neglexit.

Primum quidem de l. VI cc. 88—96 disseremus, quibus Alcibiadis et legatorum de auxilio Syracusanis ferendo studia narrantur. Multa in his capitibus spectant ad bellum Peloponnesiacum a Thucydide alias descriptum, ut sine eius notitia vix possint intelligi. Velut brevis τῶν Μαντινικῶν designatio (88, 9 et 89, 2), periculum ex Sicilia Peloponnesiis imminens (90, 2 et 91, 3), consilium Lacedaemoniorum in Atticam proficiscendi iam dudum captum (93, 1), denique Deceleae munitio, in qua tota haec capita versantur. Cwiklinskius igitur 88, 9—93, 1 tum demum putat adiuncta, cum expeditio in Siciliam facta bello Peloponnesiaco inculcata sit. Atque vestigia sibi videtur repperisse, quibus ita factum esse comprobetur. In c. 93 p. 1 enim cum sententiarum nexus fere is sit, ut dicatur Lacedaemoniis in At-

ticam profecturis ex Alcibiadis oratione etiam animum additum esse (πολλῷ μᾶλλον ἐπερρώσθησαν) eosque idcirco (ὥστε) Deceleam munire cogitavisse καὶ τὸ παραυτίκα καὶ τοῖς ἐν τῇ Σικελίᾳ πέμπειν τινὰ τιμωρίαν; Cwiklinskius contendit ultima verba male esse cum praecedentibus coniuncta. Nam quoniam Lacedaemonii nihil nisi irruptionem in Atticam faciendam antea in animo habuisse dicti sint, etiam verba μᾶλλον ἐπερρώσθησαν ad solam hanc irruptionem videri esse referenda; neque igitur recte eos dici idcirco (ὥστε) in ipsam Siciliam subsidium mittere decrevisse. Sed de verbis πολλῷ μᾶλλον ἐπερρώσθησαν parum profecto Cwiklinskius mihi persuasit: nam manifestum mihi quidem videtur, iam latius ea patere commodissimeque rationem utriusque Lacedaemoniorum consili exprimere. Itaque non modo ad Deceleam muniendam, sed etiam ad quemlibet conatum, praecipue autem ad Athenienses in Sicilia aggrediendos eo tempore Lacedaemonios confirmatos esse ex hisce verbis crediderim. — Neque vero in sequentibus „καὶ Γύλιππον τὸν Κλεανδρίδου προςτάξαντες ἄρχοντα τοῖς Συρακοσίοις ἐκέλευον μετ' ἐκείνων καὶ τῶν Κορινθίων βουλευόμενον etc.“, ubi Cwiklinskius nomen desiderat, quo ἐκείνων referatur, ego quidem offendo. Nam facile ex τοῖς Συρακοσίοις necessaria Syracusanorum legatorum notio auditur. Et quidem si cum Kruegero statuimus τοῖς Συρ. ex ἄρχοντα pendere et cunctos Syracusanos significare, ex populi universitate partem quandam adsumere debemus. Commodius autem προςτάξαντες cum τοῖς Συρ. coniungemus et ipsos Syracusanorum legatos intellegemus, ut sensus evadat: „Gylippum Syracusanis sc. legatis ducem apposuerunt et cum eis consultare iusserunt.“ Quo facto etiam illud explicabitur, quod Cwiklinskius monet, scriptorem hoc capite variis ad significandos Syracusanos locutionibus usum esse, τοῖς ἐν τῇ Σικελίᾳ, τοῖς Συρακοσίοις, τοῖς ἐκεῖ. Nam οἱ ἐν τῇ Σικελίᾳ vel οἱ ἐκεῖ totum populum significant in Sicilia habitantem, οἱ Συρακόσιοι legatos ab eis in Graeciam missos. — Denique in fine huius capitis, postquam consultatio inter legatos finita est, legimus: ταῦτα δέ ξυνθέμενοι ἀνεχώρουν ἐκ Λακεδαίμονος. In qua sententia Cwiklinskius subiectum requirit. Ego quidem nunquam dubitavi, quin legati hoc loco sint intellegendi: nam ei soli possunt reverti sc. domum. Sed liceat sane in hac re offendere. Iure tamen mihi videor mirari, cur Cwiklinskius sollicitaverit hunc locum, quem ipse sua coniectura non possit reddere luculentiorem. Cum enim statuat primo opere c. 88 p. 8 statim c. 93, 2

paragrapho fuisse exceptam, huic quidem sententiae subiectum nequaquam propius accedit. — Iam supervacaneum videtur edicere, nos quidem a Cwiklinskii sententia magnopere abhorrere. Accedit quod ne in ipsis quidem paragraphis 88, 8 — 93, 1 vestigia possunt commonstrari, quibus postea haec inserta esse appareat. Neque enim paragraphos 88, 9 et 10 vicarias (Lückenbüsser) deprehendi Cwiklinskio concedo, et Alcibiadis orationem praecipue, id quod Cwiklinskius negat, in subsidio Syracusas mittendo versari autumo. Sed taedet in his quidem rebus, in quibus nemo possit difficultatem invenire, nisi qui nodum in scirpo quaerat, multa verba consumere. Si placet, sermonem alio transferamus.

Est in sequentibus locus, ubi ea quae Cwiklinskius resignavit l. VI cc. 88—93 respiciuntur, VII 18, 1. Eum scilicet locum et ipsum retractatum esse Cwiklinskius contendit, atque ex tota sententiae forma et habitu id comprobare conatur. Statuit autem tres potissimum rationes, quibus Lacedaemonii ducti sint ad irruptionem exequendam, hoc loco referri (1. ὥσπερ τε προεδέδοκτο αὐτοῖς, 2. καὶ τῶν Συρακοσίων καὶ Κορινθίων ἐναγόντων, 3. ἐπειδὴ ἐπυνθάνοντο τὴν ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων βοήθειαν ἐς τὴν Σικελίαν, ὅπως δὴ διαβολῆς γενομένης διακωλυθῇ); et ita putat reiectaneam earum structuram et coniunctionem, ut verba ὥσπερ .... ἐναγόντων postea inserta esse agnoscatur. Sane quidem, si sic, ut Cwiklinskius fecit, incidis et coniungis, sententia aliquid habet miri. Sed pravam ego hanc incisionem arbitror, cum non tres sed duae Lacedaemoniorum rationes sint distinguendae. Omnia enim quae sequuntur inde a particula ἐπειδή ego ex altero enuntiato (Συρακοσίων ἐναγ.) suspensa esse existimo, ita ut Syracusani et Corinthii dicantur, cum subsidium ab Atheniensibus Siciliae imminere comperissent, etiam multo magis irruptionem ursisse, qua tandem facta subsidium inhiberetur. Quis vero neget eam verborum comprehensionem, quoniam Corinthiorum et Syracusanorum vel in primis intererat subsidium Athenis retineri, mirum in modum speciosam esse et ad sensum accommodatam?

Duobus deinde aliis locis Cwiklinskius ex propria orationis forma verba non originalia, ut ita dicam, odoratur: VII 56, 3—59, 1 et VII 28, 3—4. Priore quidem loco quasi cardo totius belli Siciliensis continetur, quippe quo magnae illius tragoediae catastropha quam dicimus perficiatur. Cum igitur capite 55

Atheniensium ex clade modo accepta miseria ac paene desperatio sit depicta, iam ad Syracusanorum alacritatem et vigorem mirifice adauctum scriptor se convertit eosque inde ab hoc tempore ad aggrediendum ascendisse dicit. Deinde pergit: pulchrum certamen eis visum esse alios Graecos statim aut liberare aut metu exolvere etc. (quae verba vel maxime pertinent ad bellum Peloponnesiacum neque tamen a Cwiklinskio posteriori curae tribuuntur), et c. 56 p. 3: „Atque erat revera memorabile hoc certamen non modo ob illam rem, sed etiam quod socii permulti utrimque adiuvabant et rerum splendorem amplificabant.“ Tum sequitur cc. 57, 58 sociorum utriusque partis enumeratio, adiecta in fine explicatione tum ipso tempore cunctos adfuisse neque postea alios accessisse. — Quae cum ego legerem nihil inveni in nexu sententiarum, quod reprehenderem. Cwiklinskius autem et locum reprehendit huius expositionis, quia inde a c. 50 iam non accesserunt nova auxilia, et totum habitum orationis atque locutiones, quibus scriptor utitur c. 56 p. 3, improbat. Ego quidem, quod sociorum conspectus non statim positus est post c. 50, ita mihi videor recte explicare, ut dicam Thucydidem illo loco rerum cursum interrumpere noluisse, sed facto demum discrimine per pugnam navalam, qua tota rerum condicio quasi uno ictu permutata est, generatim de bello loqui cogitavisse. Quod autem Cwiklinskius duritias quasdam in hisce verbis reprehendit, quae mihi quidem videntur partim e memoriae labe fluxisse partim Thucydidis dictioni esse condonandae, quod denique Cwiklinskius dicit: „Man merkt, dass es dem Schriftsteller Mühe macht, seine Notiz an dieser Stelle anzubringen“; cur, quaerat quis, hunc potissimum locum Thucydides, cum opus retractaret, ad socios enumerandos sibi delegit, siquidem ipse non poterat non videre eum minus esse accommodatum? Si enim altera cura omnes quas Cwiklinskius dicit ineptias factas esse statuerimus, etiam multo magis Thucydidis neglegentia nobis erit miranda.

Similia etiam de altero loco possunt disputari. Namque totam orationem cum constet perturbatam ac mendis esse maculatam, ego quidem nihil ex hoc loco concludere audeo. Scriptor c. 27, pp. 1—2 per occasionem accedit ad totam illius temporis in Attica calamitatem et miseriam longius exponendam. Cuius miseriae postquam (27, 4 — 28, 2) varias causas protulit,

velut pecuniae defectionem, servorum ad hostes transfugium, denique commeatus interclusionem, qua re urbs quasi speciem praebuerit castelli; iam c. 28 p. 3 summam causam attingit: „maxime autem eos premebat, quod duo bella simul habebant.“ Ac ne quis forte requirat, cur Athenienses etiamtum illa duo bella sustinuerint, explicationem affert huius rei claram et dilucidam: „καὶ ἐς φιλονεικίαν etc.“ Ἡ φιλονεικία igitur erat, quae eos, quamvis ipsi ab hostibus obsiderentur, non sineret tamen missam facere illam molitionem, sed vel praeter omnium opinionem constantes esse cogeret. Atque ea sententia initio sequentis enuntiati si non egregie at certe luculenter exprimitur. Usque ad verba τῆς Ἀθηναίων igitur omnia clara sunt, neque Cwiklinskius in sententia offendit; sed sane quae sequuntur mirum in modum recedunt ab eo, quod hic loci expectamus. Etenim cum legamus Athenienses παράλογον ποιῆσαι τοῖς Ἕλλησι τῆς δυνάμεως καὶ τόλμης, quivis continuo id cogitat, quod illi ne tum quidem in tanto discrimine periculi copias suas ex Sicilia revocaverunt. In fine autem huius sententiae id augetur atque amplificatur, quod susceperint omnino magnam in Siciliam expeditionem. Eam verborum continuationem vel toto caelo a sententia priore abhorrere Cwiklinskius iure monet. Quod autem sibi videtur hanc difficultatem sustulisse, si insertam esse hanc paragraphum statuisset, ego quidem ei non possum assentiri: nam talem verborum complexionem, in qua singulae partes inter se pugnent, ego non credo a Thucydide ullo tempore concipi potuisse. Itaque priorem paragraphi partem, quoniam convenit cum tota sententia, ego quoque putaverim sincera fere Thucydidis verba continere; ubi vero de expeditione primum facta sermo instituitur, inde a verbis „ὥστε ἔτει ἑπτακαιδεκάτῳ —“, adeo depravata mihi oratio videtur, ut ampliorem de ea disputationem plane abscidam. Non enim opus est ad id quod hoc loco agimus vagas atque incertas afferre coniecturas, cum fatendum sit neminem adhuc rectam medicinam invenisse. Id tantum refert ne hoc quidem loco Cwiklinskium sua ratione quidquam profecisse.

Quae cum ita sint, ego quidem censeo Cwiklinski argumentis fidem non esse habendam. Quod eo evidentius etiam apparebit, quo frequentiora in libris VI et VII talia commonstraverimus, quae quia designationem quandam continent belli 27 annorum, ex Cwiklinski quidem sententia non possunt non

pro additiciis haberi. Iam igitur ad eos huius generis locos adeo, quos ille aut omnino praetermisit aut perquam breviter perstrinxit et incertos esse sumpsit potius quam demonstravit.

Prima statim VI libri verba, τοῦ αὐτοῦ χειμῶνος Athenienses in Siciliam profectos fuisse, cum excipiant narrationem in priore opere relictam ex eaque sumant temporis definitionem, bellum Siciliense cum Peloponnesiaco conectunt.

Sequitur l. VI c. 6 p. 3, ubi legimus Egestaeos, cum Athenienses ad bellum excitaverint, non praetermisisse quin eos periculi admonerent, quod ex nimia Syracusanorum potentia eorum dominationi immineret: „κίνδυνον εἶναι μήποτε μεγάλῃ παρασκευῇ Δωριῆς τε Δωριεῦσι κατὰ τὸ ξυγγενὲς καὶ ἅμα ἄποικοι τοῖς ἐκπέμψασι Πελοποννησίοις βοηθήσαντες ....“ Quod hoc loco necessitudo inter Syracusanos et Peloponnesios diserte confirmatur, mihi quidem videtur plenam de rebus in Graecia gestis narrationem designare et totum bellum tamquam Doricae et Ionicae gentis certamen interpretari. Certe miror Cwiklinskium de hoc loco tacere.

Deinde c. 7, quod totum versatur in historia ipsius Graeciae describenda, vereor ne sit suspiciosum. Neque id Cwiklinskius non vidit, sed omnes de ipsa Graecia relationes, quae quidem extant in libris VI et VII, postea inserta esse summatim edixit; id quod cadit vel maxime in hunc locum et l. VI cc. 95 et 105. Documento autem ei est, quod haec capita admodum breviter et fastorum paene in modum sint conscripta, ita ut quasi secundarias actiones in eis inesse appareat. Atque secundarias quidem fuisse has parvulas prolusiones et exiguas quasi concursationes quivis concedat; sed eo minus, credo, videbitur mirum, eas res paucis adumbrari: cum praesertim Thucydides sit scriptor „densus et brevis“ et non raro „ita creber rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numerus consequatur“. Ergo ex illa Thucydidis brevitate plane nihil potest concludi.

Venimus ad orationes a Nicia et Alcibiade de expeditione Siciliensi habitas, quae l. VI cc. 9—14 et 16—18 continentur. In quibus orationibus adeo sunt numerosae priorum commemorationes, ut, nisi copiosius haec omnia iam narrata esse recordemur, vix talia possimus tolerare. Sicuti c. 10 p. 1 cum legimus de hostibus quibusdam Atheniensium permultis et de incerto quodam foedere cum eis inito, nunc quidem e prioribus

libris de his rebus certiores facti claram atque luculentam habemus orationem; sin autem prioris belli nescii ad haec verba accederemus, plane profecto de eorum vi atque notione haesitatio nos teneret. Deinde in sequentibus ita fit mentio Lacedaemoniorum eorumque societatis cum Graecis Siciliensibus initae, itemque Chalcidensium adhuc invictorum, quasi haec omnia iam satis superque nota sint neque egeant longiore expositione. Eiusdem sunt generis, quae proximis capitibus de tota Atheniensium id aetatis condicione dicuntur, quorum summatim affero 11, 5 et 12, 1. Denique ubique fere in his capitibus haeremus, nisi praecedentium librorum cognitione adiuvamur.

Iam inspice Alcibiadis ad Niciae orationem responsum. Omitte quod commemoratio rerum ab Alcibiade prius gestarum ex libro V demum egregia quadam luce perfunditur; at certe c. 17 pp. 4—5 manifesto ad Peloponnesiacum bellum haec pertinere confirmant. De quonam alio bello possumus „ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ“ interpretari nisi de Peloponnesiaco, quod 27 annos durasse propria est Thucydidis ratio? Clarius luce apparet Thucydidem cum has quidem orationes componeret, partem belli Pelopsnnesiaci scribere voluisse. Quare Cwiklinskius, quem adhuc praetermisisse hunc locum magnopere miror, non poterit quin orationes insertas esse edicat.

Reliquos locos harum orationum — insunt enim etiam alii —, quoniam una c. 17 p. 5 ad Cwiklinskium coarguendum sufficit, iam longum viditur enumerare. Transeo ad c. 26 p. 2, ubi ‘ἡ’ νόσος, ‘ὁ’ ξυνεχὴς πόλεμος, ‘ἡ’ ἐκεχειρία non nisi propterea tam breviter et abrupte designari debuerunt, quod cuivis licebat ex praecedentibus libris plenam de his rebus intellegentiam haurire. — Similia inveniuntur in contionibus ab Hermocrate et Athenagora apud Syracusanos habitis, velut c. 34 p. 3 et c. 36 p. 4, ubi sic dicitur de τῷ ἐκεῖ, sc. in Graecia πολέμῳ nondum firmiter extincto, ut bellum iam enarratum ac paene pervulgatum designari agnoscas. — Neque minus c. 73 p. 2, quae in eadem re versatur (τὸν πρὸς Ἀθηναίους πόλεμον βεβαιότερον πείθωσι ποιεῖσθαι ἐκ τοῦ προφανοῦς) dubiae et suspectae pacis condicionem antea descriptam videtur sibi necessario postulare. — Deinde Hermocratis et Euphemi apud Camarinaeos orationes rationes Siciliensi et Peloponnesiaco bello communes egregie illustrant et permultis locis res in Graecia gestas respiciunt (76—77, 1, 82—83); itemque Syracusanorum cum Peloponnesiis amicitia

insita paene atque innata saepius in eis praedicatur et proclamatur (80, 1, 84, 1). — Capita 88—93 Cwiklinskius ipse concessit non nisi ita suae rationi posse accommodari, ut postea inserta esse dicantur; idem de ca. 95 et 105 et l. VII c. 9, quippe quae res ipsius Graeciae contineant, confitetur.

Iam vero in sequentibus tam firma sunt vincula, quae res Graecas cum Siciliensibus coniungant, adeo omnia inter se contexuntur et coartantur locorumque varietas ad unam imaginem revocatur et accommodatur, ut ne Cwiklinskius quidem commissuras, ubi singula inter se conserta sint, possit investigare. Attamen l. VII cc. 17—20 et 26—30 longius videbantur enarrari ac saepius res Peloponnesiacas respectare, quam quae possent tota in historia belli Siciliensis locum habere. Itaque nihil aliud relinquebatur, nisi ut haec quidem capita omnino retractata et in aliam plane formam redacta esse dicerentur; et ad eam nimirum rationem Cwiklinskius confugit, ut „stark überarbeitet“ haec esse praedicaret. Sed tali profecto ratione de quovis opere possis quidvis praedicare, si omnia quae non conveniunt pro insertis aut retractatis habere velis. Immo vero si concedis ne vestigia quidem ex retractatione plerumque extare, nihil fere probas, atque sententiae tuae vis atque auctoritas omnino evanescit. Praeterea Cwiklinskio idem de l. VII cc. 31 et 34 erat profitendum, ea esse retractata. Nam quod his capitibus res circa Naupactum gestae planius exprimuntur et verbosius illustrantur, ipsum quoque male quadrat ad belli Siciliensis angustam narrationem. Atque etiam l. VII c. 56 p. 2, quia designationes continet universi belli Peloponnesiaci, ab historia belli Siciliensis esse secludendum, id quod Cwiklinskium fugit, supra est demonstratum.

Porro orationes, quibus Nicias et Gylippus milites ad summum discrimen sustinendum cohortantur (l. VII cc. 61—68), melius videntur cum belli Peloponnesiaci universitate quam cum tenui Siciliensis historiae filo convenire. Cum enim c. 64 p. 1 periculum significetur, quod ipsis Athenis a Lacedaemoniis immineat (τούς τε ἐνθάδε πολεμίους etc.) cumque c. 66 p. 2, ut iam saepius, legamus Siciliae occupationem non nisi instrumentum fuisse ad ipsam Graecam Atheniensibus subiungendam, elucet haec quidem latius patere et ad universum bellum Peloponnesiacum spectare. — Denique etiam in novissimis capitibus insunt quaedam, quae libros VI et VII cum reliquo opere conectant.


L. VII c. 86 p. 2 Niciae et Demosthenis cum Lacedaemoniis rationes summatim repetuntur, ut ille eis amicissimus, hic inimicissimus semper fuisse dicatur; tum in fine capitis 87 adnotatur: ξυνέβη δὲ ἔργον τοῦτο Ἑλληνικὸν τῶν κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε μέγιστον γενέσθαι etc.: quae cum legimus non possumus non do toto bello Peloponnesiaco cogitare.

Huc adde, quod neque exitus libri VII is est, ut finem prioris de bello Siciliensi operis adhuc agnoscamus, neque principia libri VIII repente arripiuntur, quasi scriptor novam orationem ingrediatur; ac si aspexeris, quam leniter et spisse profluat oratio, quam tardis et commodis gradibus scriptor quasi in Graeciam revertatur, ut primum tristissimi nuntii effectum, deinde, quid e clade consecutum sit, depingat, haud scio an Cwiklinski argumentis magnopere diffidas. Attamen quoniam infitias ire non possumus nonnullas res eius sententiae mirum in modum favere eique quasi speciem veritatis praebere, tantum abest, ut omnem dubitationem in re difficillima praecidamus, ut nihil fere de compositis his libris constare confiteamur. Facile enim mea quidem sententia fieri potuit, ut Thucydides primum expeditionem in Siciliam factam seorsum describeret, postea autem omnia eius curae vestigia ita deleret, ut nobis, qui hodie legimus, plane evanescerent. Sed utrum id re vera factum sit an alio quodam ordine aliave via Thucydides processerit, ego quidem non possum disceptare.

Superest, ut aliam quaestionem enucleemus a Breitenbachio institutam (Jahn Jahrbb. 1873, p. 185), quonam tempore novissimus historiae liber sit conscriptus. Etenim Breitenbachius ex ea re, quod nusquam in hoc libro tempus auctumno anni 405 posterius respiciatur, quamvis ipsae res ad talem commemorationem nonnunquam videantur invitare, conclusionem facit eum librum ante annum 405 compositum esse, postremo autem scriptorem in VII libro elaborando operam collocasse. Loci, quibus Breitenbachius designationem posterioris temporis atque ingentis rerum commutationis anno 404 factae desiderat, sunt quinque: VIII 1, 4; 89, 3; 96, 1—3; 97, 2; 24, 4. De prioribus quatuor non operae pretium videtur verba consumere: nam adeo sunt ancipites et inanes, ut suo quisque studio et arbitrio in interpretando possit impune indulgere; neque ipse Breitenbachius, quomodo id quo intendit ex eis consequatur, distinctius demonstravit. Sufficiat pauca disputare de VIII 24, 4: Χῖοι γὰρ μόνοι

μετὰ Λακεδαιμονίους ... εὐδαιμονήσαντες ἅμα καὶ ἐσωφρόνησαν. Breitenbachius quidem sic argumentatur: „Lacedaemonii hic loci dicuntur in rebus secundis semper temperantiam asservasse. Anno autem 405 victoria ad Aegospotamos reportata insolenter atque immodice abusi sunt. Ergo non nisi ante annum 405 potuerunt illa verba de eis praedicari.“ Recte quidem. Tantum enim sine haesitatione concedimus istam laudem vel minime cadere in eos Lacedaemonios, qui 405 et subsequentibus annis Lysandro duce extiterunt. Sed certum quoddam temporis spatium ei voci est subiciendum, sc. ab antiquissimis temporibus usque ad hoc ipsum tempus, in quo quidem describendo Thucydides versatur, aestatem anni 412. Atque ea sententia aoristis a scriptore de industria positis (εὐδαιμονήσαντες, ἐσωφρόνησαν) egregie exprimitur: nam saepissime aoristus ita usurpatur, ut totum praeteriti temporis spatium complectatur proximeque ad plusquamperfecti significationem accedat. Quod autem Breitenbachius hoc temporis spatium in reliqua tempora usque ad eum annum, quo Thucydides haec conscripserit, extendere vult, malam profecto obscuritatem vel ambiguitatem scriptori obtrudit: neque enim quisquam non modo nostrum sed ne aequalium quidem Thucydidis scire potuit, quo potissimum tempore haec ipsa verba essent conscripta. Quodsi ita, ut Breitenbachius voluit, hanc sententiam interpretemur, temporis de quo ea valeat diuturnitas prorsus in incerto relinquatur. Itaque mea quidem sententia non nisi de tempore usque ad annum 412 praeterlapso est cogitandum. — Sed utut de his rebus sentis fatendum erit ex silentio semper infirmum esse iudicium et imbecillum; neque igitur quidquam certius de tempore libri VIII statui poterit.

Itaque, ut summam faciamus, tantum fere videtur de tota Thucydidis scriptione constare: Thucydides paullo post annum 421, quippe quo bellum Peloponnesiacum finitum putaret, eos qui modo praeterierant decem annos describere coepit — opere a priore nostrae historiae parte non ita diverso. Quantum temporis in hoc studio consumpserit, utrum circa annum 410 ultra IV. 48 nondum fuerit progressus an postea talia addiderit, parum certis argumentis potest illustrari. Mea quidem sententia vix historiam belli Archidamici absolverat, cum repente continuationem et quasi universitatem certaminum intra annos 431—404 factorum animadvertit. Iam igitur post annum 404 ratio-



nibus, quibus ad eam sententiam ductus esset, l. V cc. 25, 26 expositis sequentia sic statim composuit, ut ad consilium recens inventum quadrarent. Simul etiam in priore opere retractando reconcinnando novis additamentis exornando eum operam collocasse verisimile est: nam tantummodo constat id ipsum quoque factum esse post annum 404. Hoc fere modo videtur factum esse, ut neque historiae filum ad finem pertexeretur neque ea, quae in opere inter se pugnarent vel ambigue essent conscripta, omnia tollerentur. Mors enim repentina utrumque prohibuit. Atque de Thucydide quoque valet quodammodo illud Nasonis:

„Non sunt haec edita ab illo,
Sed quasi de domini funere rapta sui.
Quidquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
Emendaturus, si licuisset, erat.“

VITA.

Otto Struve natus sum Berolini die IX febr. m. a. h. s. LV patre Hermanno matre Bertha e gente Matthies. Fidem accepi evangelicam.

Primis doctrinae elementis Sedini, quo parentes transmigraverant, in gymnasio quod a Maria nomen tenet, sum imbutus; sed usque ad XII tantum annum ibi permansi. Anno enim h. s. LXVI cum parentibus Berolinum reversus gymnasio receptus sum Luisiano, quod tum Kockii auspiciis florere coepit. Autumno a. LXXII maturitatis testimonium adeptus universitatem F. G. adii et per octies sex menses studiis philosophicis operam dedi. Praeceptores habui Curtium Droysenum Hauptium Huebnerum Kiepertum Kirchhoffium Mommsenum Muellenhoffium Vahlenum Wattenbachium Willamowitzium Zellerum. Societatibus interfui Huebneri Kirchhoffii Muellenhoffii Vahleni Wattenbachii. His viris omnibus hoc loco gratias ago.

Berolini, typis A. W. Schadii.